



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor  
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum  
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,  
Coordinatus, Seu Omnes ...**

**Diana, Antonino**

**Lugduni, M. DC. LXXX.**

94. An qui procuravit abortum fætus animati, sequuto effectu, gaudeat  
Immunitate? Ex part. 7. tr. 5. res. 42.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76442](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76442)

sequitur ut debeat gaudere Ecclesie immunitate, & ita hanc sententiam docet Farinacius in *append. de immunit. Eccles. cap. 7. num. 117.*

RESOL. XCIII.

*An occidens fetum animatum cum aliqua potione gaudeat Immunitate Ecclesie?*

*Et an concubinariis potionem concubine, vel adultera tradendo ad effectum faciendi abortum fetus animati gaudeat Immunitate? Ex part. 3. tract. 1. Ref. 72.*

Sup. hoc in §. 1. Negatiuam sententiam docet Peregrin. de immunit. Eccl. cap. 3. num. 8. Farin. in appen. cap. 8. num. 138. & alij penes ipsos, & ratio est, quia talis occidit proditorie illum, qui nullo pacto prauddit, nec precauere potuit talem mortem.

2. Verum ego contrariam sententiam teneo cum Martino Bonacina tom. 3. disp. 2. q. 3. punct. 16. §. 8. num. 8. quia ait huiusmodi delinquens iuxta communem usum loquendi non vocatur proditorie occidere; is enim dicitur proditorie occidere qui per insidias, seu per dolum aliquem id non prauddentem occidit, infans autem non dicitur in hoc casu per insidias, & dolose occidi, cum ipse nullius rationis capax sit, nec dolum in ipsum committatur, dolum autem est fraus ad aliquem decipiendum adhibita, infans autem decipi non videtur, ergo, &c. & ita hanc sententiam tenet etiam Franciscus Leo in thes. fore. Eccl. p. 1. cap. 13. vers. dubitari etiam potest; ex his igitur dicendum est concubinariis potionem concubinae, vel adultera tradendo gaudere Ecclesie immunitate.

RESOL. XCIV.

*An qui procurauit abortum fetus animati, sequuto effectu, gaudeat Immunitate. Ex part. 7. tract. 5. Ref. 42.*

Sup. hoc in Ref. praecedenti. §. 1. Affirmatiuam sententiam contra Peregrinum, & Farinacium ego olim docui cum Bonac. & Leone, vnde me citato nouissime P. Thef. in pract. p. 1. cap. 1. num. 3. sic ait: Immunitatis Ecclesiasticae ius, seu sacri asyli, ipso iure amittunt procurantes abortum fetus animati, secundum aliquorum sententiam, ex Bulla Greg. XIV. incip. Cum alias nonnulli, ubi proditorium homicidium perpetrantes sunt priuati tali refugio: ita Farin. de immunit. Eccl. cap. 8. num. 138. Peregr. de immunit. Eccl. c. 3. n. 8. quia dicunt occisionem fetus animati esse proditorium homicidii. Alij negant, ut Franc. Leon. Thef. fore. Eccl. p. 1. c. 13. Bonac. de cens. part. 6. disp. 2. q. 3. pu. 39. §. 8. num. 8. Diana resol. 72. tr. 1. tom. 3. Sed admissa etiam priori sententia, aduerte quod illa poena non ligat ante sententiam Iudicis Ecclesiastici declaratoriam, ut patet in eadem Bulla. Hucusque P. Thefaurus: non est igitur recedendum ab affirmatiua sententia.

RESOL. CXV.

*An testis, quia sua falsa depositione fuit causa, cur quis morti traderetur, fugiens effraeto carcere in Ecclesiam, Immunitate gaudeat?*

*Et quid, si in dicto casu mediante pecunia corruptus falsum deposuerit, propter quam falsitatem reus condemnatus est ad mortem, nam talis in hoc casu dicitur assassinus, ideo an talis gaudeat Immunitate? Ex part. 1. tract. 1. Ref. 19.*

§. 1. **D**vas difficultates tangit haec quaestio. Prima, an rei, qui effraeto carcere ad Ecclesiam confugiunt, gaudeant immunitate? Secunda, an testes falsi, ut supra, tali etiam privilegio fruuntur? Ad primum respondeo affirmatiue cum Ambrosio in *tr. de immunit. cap. 30. num. 11.* Peregr. de immunit. cap. 5. num. 9. & alius, quidquid in contrarium asserat Gambac. lib. 4. c. 18. n. 9. in fin. ubi adest consuetudo, tales reos non gaudere. Sed hoc falsum est: nam, ut supra diximus, & notat in casu simili Farinac. de immunit. cap. 6. num. 95. Bulla Gregor. XIV. derogat, & tollit omnes consuetudines, & reducit omnia ad vniam formam, cum particula taxatiua, excludendo omnes alios casus.

2. Ad secundam dubitationem principalem respondet negatiue Ital. de immunit. Eccl. lib. 2. cap. 5. §. 4. & latius §. 5. num. 145. & seq. ubi docet, testem falsum, ob quem morti aliquis traditus fuit, non gaudere immunitate Ecclesie: quia talis dicitur proditorie homicida. Sed obseruat optime Farinac. de immunit. cap. 9. num. 141. itante Bulla Greg. in hoc casu, debere Episcopum consulere Summum Pontificem, & iuxta illius responsum se regulare. Sed hanc doctrinam noster Peregr. ubi supra cap. 7. num. 43. putat non procedere, si testis mediante pecunia corruptus, falsum deposuerit, propter quam falsitatem reus est condemnatus ad mortem; nam talis in hoc casu dicitur assassinus, & ideo non gaudebit immunitate. Limitatio igitur, & consilium Farinacij procederet in casu, quo testis deposuisset falsum; non tamen pecunia mediante: & in tali casu, ita faciendum ab Episcopo etiam ego existimo.

RESOL. CXVI.

*An testis, qui pretio falsum deposuit, vnde innocens damnatus fuit ad mortem, gaudeat Immunitate? Idem dicendum est de iudice, qui pecunia corruptus innocentem ad mortem damnauit.*

*Et quid dicendum, si in supra dicto casu testis falsus deponat sine pecunia mediante; an priuetur Immunitate tanquam occidens aliquem proditorie? Ex part. 4. tract. 1. Refol. 104.*

§. 1. **N**egatiuam sententiam docet Marius Italia lib. 1. cap. 5. §. 5. num. 144. & seq. quem citat & sequitur Peregrinus cap. 7. num. 42. quia talis dicitur assassinus; cui enim competit definitio assassini, competit etiam definitio. Et idem dicendum est de iudice, qui pecunia corruptus innocentem ad mortem damnauit.

2. Verum oppositam sententiam obseruat Martinus Bonacina in Decalogum disp. 3. quest. 7. punct. 6. §. 3. num. 8. esse probabilem & fauorabilem immunitati Ecclesie: nam testis, seu iudex in tali casu proprie, & physice loquendo, non occidit, ergo, & ideo si casus aliquando acciderit, saltem ego puto consulendum esse Summum Pontificem, licet olim in part. 1. tract. 1. resol. 19. docuerim absolute talem reum non gaudere immunitate.

3. Sed quid si testis falsus deponat sine pecunia mediante contra aliquem, & ob id morti a iudice ad iudicetur, priueturque immunitate tanquam occidens aliquem proditorie? Affirmatiue respondet Italia loco citato. Farinacius in *append. c. 7. n. 141.* putat, dum casus acciderit, consulendum esse Summum Pontificem. Bonacina vero in §. 1. n. 4. & Peregrinus, asserunt si praedictum non priuati immunitate, & ego hanc sententiam amplectendam esse puto, vel saltem consulendum esse Summum Pontificem.

E 4 RESOL.

Sup. hoc primo supra in Ref. 27 §. Quarto quinto. & in Ref. 68. §. Vlt. ad medium, & in Ref. 65.

Sup. hoc secundo in Ref. 189. §. Vlt. & supra in Ref. 27. §. Quarto Vndecimo.

Sup. hoc teste in Ref. seq. a principio.

Quaestio est Ref. antecedens. Sup. hoc in Ref. praeterita §. Ad secundum. & supra in Ref. 27. §. Quarto vndecimo.